DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ASTHENIA INCITATIONIS CVM VENTRICVLI ET INTESTINORVM AFFECTIONE LOCALI, VERAM SISTENS, REIECTA GASTICISMI OPINONE DE EADEM, SENTENTIAM

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. VIII. NOVEMBRIS CIϽIϽCCCI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROL. FRIED. IVL. DANNENBERG

HANNOVERANVS

IENAE

EX OFFICINA SCHLOTTERIANA.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Antiquiſſimis inde a temporibus usque ad nos, ſyſtematis chylopoietici et praecipue ventriculi pathemata ſummi in medicina momenti fuere, et omni quidem jure, vt mihi videtur: quis enim, iſtius viſceris cum omnibus fere corporis partibus nexum, quis, ad functionem ejus reſpiciens, de maiori ipſius in oeconomiam animalem influxu dubitabit? Quo laeſo, et digeſtionem et chylificationem, ſanguinem ipſum omniaque corporis fluida e ſanguine ſecreta nunquam niſi perverſa invenies, quibus ita mutatis, ſemper incitationis e ſanitatis gradu declinatio — morbus — ſequitur.

§. 2.

Olim quidem medici, effectus morborum ipſos eſſe morbos eosque curandos rati, connexione cauſali, qua omnes ſic dictos morbos ad unam cauſam referre potuiſſent, neglecta, innumerabiles dixere ventriculi morbos, innumerabilia eorum remedia: ſic ſpasmos antiſpasmodicis, febrem antifebrilibus antiphlogiſticis, diarrhoeam et materiam evacuantibus et diarrhoeam ſiſtentibus remediis, et ut uno verbo dicam, ſymptomata morbi pro illo ipſo habuerunt.

 Iam

Iam vero experientiſſimi medici cauſam ab effectu ſubtiliſſime diſtinguendam omnemque veram indicationem in cauſa efficiente i. e. in morbo ipſo, non in illius effectibus ponendam eſſe dicendo, proſpera luce viam deſignavere, qua ſecure progrediamur. Quare illud a Perill. HVFELAND egregie dictum ſemper in memoria tenebo:

„Man generaliſire die Krankheit, und individualiſire
„den Kranken.„

Profecto quidem iam ante BRVNONEM multa eius dicta medicis haud ignota fuere, ideas autem illas quaſi rude accumulatas in admirabili ſyſtematis ordine ad lucem proferre necquisquam niſi BRVNONIS ingenium potuiſſet: illi ſane debemus, quod medicinam, olim usque in aeternum extenſam, quam ſimpliciſſimam redditam noſcamus.

§. 3.

Tibi quidem BRVNONIS ſcripta diligenter perſcrutanti ſaepe quidem partes nondum ſatis elaboratae, ſaepe loci obſcuri occurrent, et clinica etiam eius praeſcripta non ſemper in curando morbo tibi ſatisfacient: quare BRVNONIS praeſcriptis vitia ineſſe non contradicimus, quae tamen non ſyſtematis ipſius vitia, ſed praxeos potius errata quaedam nominanda nobis videntur.

Profecto autem in curandis ventriculi morbis illa ratio mihi nunc exponenda ſemper jucunde, ſecure et cito aegrotantem ad ſanitatem revocabit.

SECTIO

SECTIO I.

DE

MORBIS VENTRICVLI LOCALIBVS.

§. 1.

Duplex eſt a gradu ſanitatis declinatio, et tertiam nunquam invenies: ut igitur omnes corporis, ſic etiam, quibus ventriculus afflictatur, morbi communes, duos in ordines et *ſthenicos* et *aſthenicos* ſint dividendi, quorum hunc breviter contemplemur. Primo autem paucis de illis ventriculi malis localibus, quibus ſaepiſſime aſtheniam illius natam videmus, ſententiam dicere meum eſſe puto.

§. 2.

Vitium locale, ſeu malum topicum, illa eſt ſtructurae (aut mixtionis, aut cohaerentiae, aut utriusque) organicae partis laeſio, qua valetudo adverſa oritur. Non in principio igitur vitae ponenda eſt morbi cauſa, et ipſe morbus (valetudinis adverſae cauſa), principio vitae inmutato partem ſolam occupat laeſam.

§. 3.

Cauſae, cauſam efficientem morbi topici componentes.

I) Diſpoſitio: quaevis organismi vivi conditio, qua ille data occaſione diſpoſitus eſt ſuſcipere morbum. Cuivis quidem illa organismo et ipſo ſano, cum omnibus noxis ſtructura organismi et ipſa validiſſima reſiſtere nequeat, ineſt: quo autem debilior corporis aut partis ſtructura, eo maior ad morbum topicum diſpoſitio.

II) Poteſtates nocentes: i. e. ita in partis organicae ſtructuram incidentes, ut data diſpoſitione mixtionem ſeu cohaerentiam eius delere poſſint.

Neutra ad morbum producendum ſola ſufficit, ut iusque autem concurſu cauſa efficitur continens i. e. quae univerſam morbi rationem in ſe contineat.

§. 4.

§. 4.

Quod vero ad diagnosin fines inter morbos locales et communes sistentem adtinet, saepe facillimam invenio, saepe eandem difficillimam. Bruno *) praecipue ad praecedentia respici iussit. „Communes, dicit ille quisque affectus, praecedente diathesi, consequente ei simili et auxiliorum opere, ei, quod nocuit, contrario patefit, dum e contrario locale malum, partis primum adfectu, inde corporis perturbatione repetenda, et morbi, quem refert, propria diathesi non aut casu tantum comitante distinguitur."

§. 5.

Caveas autem dispositionem cum opportunitate commutando, in gravem incidas errorem. Bruno enim, qui paulo ante dispositionem, momentum unum ad morbi localis causam continentem necessariam dixisset, nunc morbis unice communibus praecedere dicens, sibi ipsi contradiceret. Definitione igitur praedispositionis iam supra data, nunc de opportunitate.

Opportunitas dicit Bruno §. 73. est secundae ab omni parte valetudini et adversae medius status. Quam facientes, potestates eandem, quae morbos, sunt, leviori vel breviore impetu agentes — Quae quo validius aut imbecillius egerint, eo brevior aut longior opportunitas erit. — §. 8. opportunitas ad morbos est corporis status a secunda valetudine ita recedens ad adversam ita vicinus, ut illius adhuc, quam insidiose simulat contineri finibus videatur.„

Quibus facile est intellectu, illam Brunonis opportunitatem nihil aliud esse, nisi morbum ipsum minoris adhuc gradus, quae validior deinde valetudinem adversam creando morbi nomen acquiritur praedispositio igitur momentum causae morbum efficientis internum opportunitas vero Brunonis productum e momento interno et externo i. e. morbus imminuti tamen adhuc gradus est. Ex quo nequaquam contradictionem esse intelligimus illud Brunonis „dispositionem omnibus et localibus et universalibus antecedere morbis, opportunitatem vero semper quidem universalibus nunquam tamen localibus malis„ opportunitatem enim iam morbum ipsum communem i. e. incitationis seu in vitae principio positum, *nunquam localibus praecedere posse malis.*

§. 6.

Quibus de diagnosi morbi topici ob temporis, quod elaborandae dissertationi super est, brevitatem, breviter quidem multisque aliis praetermissis, pro scopo tamen meo satis exhibitis, nunc illa ventriculi topica mala exponendo adeo.

§. 7.

*) *Elementa* Brunonis Cap. 9. §. 83.

§. 7.

Quodſi in ventriculum ita agunt noxae incitantes ut pro data diſpoſitione aut mixtionis aut cohaerentiae fiat mutatio ventriculi topicum (os) adeſſe dicimus morbum (os): quorum unum non ablata quidem imminuta vero cohaerentia i. e. fibrarum laxitate nimia poſitum atque ſaepiſſime in communem affectum abientem paulo accuratius contemplemur.

§. 8.

Ingeſta ſeu qualitate ſeu quantitate nocentia ita in ventriculum efficacia ut fibrarum eius vis aſſumtis reſiſtere eaque digerere nequeat illum efficiunt topicum morbum. Aſſumta igitur unum et quidem externum cauſae continentis momentum cum interno i. e. fibrarum ventriculi vi ratione inverſa, inveniuntur. Quo maior enim praediſpoſitio, eo minori quo minor eo maiori vi externa ad morbum illum excitandum opus erit.

§. 9.

Diagnoſis.

Cibis dicit aegrotus aut ſtomacho alienis, aut acrioribus, aut et ipſis perſpirabilibus maiori autem copia nuper ingeſtis ſe horis nonnullis praeterlapſis ſenſationem praecordiorum habuiſſe dolorificam, cum capitis dolore, inertia, faſtidio et vomitus niſu fruſtraneo, ſymptomatibus ſenſim creſcentibus coniunctam; quaque noxa incitante ad morbum communem producendum apta, quoque diatheſeos univerſalis veſtigio abſente nunc omnibus illis ſymptomacibus, aut perdurantibus aut adhuc gravioribus redditis, regionem illam reperimus externe tumidam tactuque manus dolorificiam. (Signum ſummi profecto momenti.) Quibus ſignis, medico de morbi indole certiori facto, ſummi eſt momenti quodnam utriusque cauſae continentis momentum praedominetur inveſtigatio.

Aegrotus, aut omni praecedentis vitae ratione aut morbis communibus ventriculi et inteſtinorum, debilitate ventriculi inde nata illis topicis malis obiectus, aut iam a prima iuventute cibis et ipſis levioribus contra conſuetudinem aſſumtis ſaepiſſime topica illa paſſione occupatus, leviorem mali impetum ſubinde vini uſu ſecure ſanavit. Quae momenta, quo maiori numero adfuiſſe noverimus, eo maiorem praediſpoſitionem in morbum efficiendum vim adtribuendam eſſe, quorum autem ſi veſtigia abeſſe accipiamus, quo validiorem organiſationem ſeu ſtructuram ventriculi eo graviorem vim materiae nocentis ſeu cauſae externae ineſſe equidem arbitror.

§. 10.

§. 10.

Locale autem illud ventriculi malum neglectis auxiliis ob ſummum in omne corpus, qui functioni ventriculi eſt, influxum praeſertim diſpoſitione inter morbi cauſas ſuperante, ſaepe in communem morbum abire iam ſupra diximus. Ille enim totius corporis tumultus primo quidem a locali malo deducendus, brevi autem incitamenti et incitabilitatis disproportionem creando, in communem evadit morbum.

§. 11.

Uniuscuiusque mali topici cura iis auxiliis parte offenſa applicandis ſemper eſt poſita, quibus organica partis ſtructura incitatione inmutata in integrum reſtituatur. Haec autem remedia ſola digna ſunt quae topica ventriculi nominentur, quippe quae univerſum quidem incitationis ſyſtema, ventriculum vero ob applicationem localem vehementius irritant. Nam quae per os ingeruntur nec alium prorſus praeſtant effectum, niſi ſyſtemate incitationis mutato.

§. 12.

De cura tandem in hoc locali malo inſtituenda quam maxime diſſentiunt medici: alii enim ut materia evacuetur, emeticis, alii autem ut ventriculus debilior redditus roboretur, excitantibus favent. Utraque ſententia argumentis ſyſtemate praxique probata pro unice vera datur.

Mihi quidem morbo vix nato (ſi conſulere poſſem aegroto) ſi ventriculum validiorem robuſti corporis infeſtaſſet, nonniſi graviori externi momenti vi adductum eſſe perſuaſo, nihil emetico efficacius videtur. Quem autem morbum localem in corpore et praeſertim ventriculo, rebus praecedentibus debilitato, iam ſaepe habitaſſe et nunc per erratum diaetae quoddam iterum reveniſſe expertus eſſem, eum promtiſſime excitantibus curandum eſſe arbitror. Quorum vi ipſe motus inteſtinorum periſtalticus auctus materiam nocentem eiicit, quoque facto ſimul cum cauſa et effectus tollitur, dum evacuantium debilitante vi ipſa aſthenica diatheſis adducitur. Edoctus quisque de veritate adhuc dictorum facile ſibi perſuadebit.

SECTIO

SECTIO II.

DE

MORBIS VENTRICVLI ET INTESTINORVM ASTHENICIS.

CAP. I.

Notata quaedam de Aſthenia incitationis.

§. 1.

Poteſtatum incitantium in organismi incitabilitatem effectus eſt irritatio — incitatio — vita. Incitabilitas et organismus internum, poteſtates autem incitantes externum ſunt vitae momentum. — Neutrum per ſe vitam producit. Illud capacitatem ponit ſtimulis irritari i. e. vivendi (falſe igitur a medicis vis vitalis eſt nominatum.) Haec incitabilitatem irritando vitam producunt. Quam ob rem BRVNO *) „ſtimulo dicit igitur omnia quoque vitae, omnis ſive ſecunda ſive adverſa valetudo non in ulla alia re conſiſtunt.,,

§. 2.

Incitabilitas et poteſtatum incitantium vis medii gradus mediam ponunt incitationem. — (XL) — ſanitatem perfectam: aut minor aut maior data incitabilitate incitamenti vis, incitationem e gradu medio deducendo, eandemque ſeu minorem ſeu maiorem reddendo, morbi communis aut aſtheniam aut ſtheniam producit. Disproportio igitur inter incitabilitatem et incitamenti vim incitationis facit delirationem, quae, adverſa valetudine ſequente, morbus dicitur communis.

§. 3.

Aſthenia incitationis.

Vis incitamenti aut abſolute aut relative imminuta, ſi minor eſt, quam quae data incitabilitate mediam ponere valeat incitationem *Aſtheniam* incitationis producit, quae omnem quidem organismum per ſe eodem modo occupans, irritabilioribus tamen, ſtimulo nocente aequaliter totum corpus irritante, receptivitate vero aequali, iis, quibus poteſtas nocens directe admoveatur partibus, graviori vi, illis autem, quibus irritabilioribus et directe poteſtas incidit nocens graviſſime ineſt. Haec autem localis, in morbo communi affectus ſemper de illo communi dependet.

§. 4.

Aſthenia a ſtimulo abſolute diminuto.

Poteſtatibus incitantibus corpori ita ſubductis, ut intra ſanitatis gra-

*) *Elementa* BRVNONIS §. XII.

gradum incitatio remanere nequeat, ſemper et directe quidem admovetur debilitas. — Aſthenia directa ſeu a ſtimulo abſolute diminuto.

§. 5.

Aſthenia a ſtimulo relative imminuto.

Non deficiente ſolum ſed ſuperante etiam ſtimulo, Aſthenia adducitur. Incitatio enim per omnes ſtheniae gradus exaltata, incitabilitate magis minusve conſumta, tandem langueſcit. Quo fit, ut ſtimulus et idem ante ſatis validus medium tamen incitationis gradum revocare nequeat. Nunquam igitur, niſi ſtimuli praecedentis vehementiori vi exhauſta incitabilitate, illa aſthenia adferri, nunquam recte ſanitatem ſequi poteſt, unde et indirectae aſtheniae nomen accepit.

§. 6.

Diagnoſis morborum aſthenicorum.

Omnis indicatio, omnis communis morbi curae ratio illa medico ocurrit diagnoſi, qua de ſthenica aut et directe et indirecte aſthenica morbi indole certior fiat. Hanc vero ſummi momenti diagnoſin, ut recte acquirat, omne potius faciunt illa e praecedentibus adlata ſigna Sunt autem huius aetatis morbi ſaepiſſime aſthenicae indolis, rariſſime ſthenia intercurrit, ita, ut omnem communem morbum, niſi certis pathognomonicis ſignis de ſthenica illius indole perſuaſus eſſem, dubioſa adhuc et ipſa aſthenica diagnoſi tamen aſthenicum iudicare non dubitem.

§ 7.

Quae autem poteſtates nocentes abſolute incitamenti vim diminuendo aſtheniam adducant, de his illa praecipue nobis notanda.

Calor imminutus — frigus, victus vegetabilis et victus inopia, ſanguinis, liquorumque ſecretorum inopia, motus deficiens, ſollicitudo, ira, amor ſpe carens, deſiderium patriae acre, mala localia, de quibus iam ſupra ſermo fuit.

Eorum, quae ingerimus, e numero vegetabilium multa quidem ad ſanitatem perfectam conſervandam non ſatis irritantia (aut ſi mavis nutrientia) aſtheniae diſpoſitionem aliisque, cum noxis coniuncta, ipſam aſtheniam inferre non contradicimus, eſſe tamen eorum quaedam non quantitate ſolum, ſed qualitate etiam nutrientia, ſat ſcimus. Profecto autem ad aſtheniam directam adferendam praeparatio ciborum vitioſa plurimum valet, unde et ipſum vegetabilem victum rite praeparatum, animali tenui vi coctrice perverſa, vitioſe reddito longe praeferrem.

Quomodo autem omnis et vegetabilis et animalis victus, irritanti ſola, an nutrienti vi, organismum ſuſtentet, cum alio loco in ean-

eandem materiam difficilem accuratius inquirere in animo ſit, nunc omitto: etenim ad curandos aſthenicos morbos mon multum refert, quam de eorum efficacia opinionem ſequar.

§. 8.

Incitamento autem relative diminuto aſtheniam illa admovent. Calor immodicus, victus animalis, aromata, ſpirituoſa immodice aſſumta, cogitatio nimia, motus nimius, affectiones animi excitantes iuſto vehementiores e. g. gaudii extremum, dolor penetracior.

Omnis ſthenia aut auxiliis neglectis, aut iisdem irritantibus a medico inſcio adlatis, ſemper eandem admovet aſtheniam.

§. 9.

De diagnoſi e ſignis praeſentibus.

Semiotica illa veterum ars, non tantae eſt gravitatis, ut, quae ex ea ſola hauſta ſint diagnoſeos ſigna, de morbi natura certiorem reddere medicum ſufficiat, cum multa et ſtheniae et aſtheniae, multa et indirectae et directe aſtheniae communia ſint: ut capitis dolor, vertigo, delirium, anxietas, praecordiorum dolor rel. Quam quidem a BRVNONE primo indicatam ſententiam, rite veram, nequaquam autem praecedentium vera gravitate nobis accuratius demonſtrata, iam illa praeſentia ſigna (illam ſemioticam artem) quaſi fallentem, inanem omnino reiiciendam putamus. Inveniuntur enim nonnulla praeſentium diſcrimen inter ſtheniam et aſtheniam ſiſtentia ſigna, magni profecto momenti. Quisnam quaeſo illam habitus externi, oculorum, caloris, (calor ille, qui dicitur mordax, ardens, tactui medici inimicus) animalis, pulſus, reſpirationis, aſthenicam a ſthenica valde diverſam neſciat rationem? Aliam autem Semiotica praeſentium, et ad cognoſcendum morbi in alium transitum et ad deſtinandam morbi vehementiam praebet, et quidem ſummam utilitatem.

Jam ille omnium medicorum admiratione dignus, divus HIPPOCRATES egregie morbi mutationem, periculum et eventum e ſignis ſemioticis illis praedicit.

Quae cum ita ſint, magnum Semiotica neglecta, medicinae detrimentum imminere, concedere non recuſabis. Coniungas igitur praecedentium graviorem inveſtigationem cum praeſentium ſignorum contemplatione, et nunquam ars in cognoſcenda morborum indole, periculo e. c relinquet. Quod tandem ad diagnoſin inter directam et indirectam aſtheniam adtinet, incitamenti praeſens actio praecedentibus ſignis proximum eſt. Abundat enim morbus directe aſthenicus incitabilitate, ſub qua quodvis incitamentum celerrime maiorem praeſtat vim, exhauſtam autem morbi indirecte

 aſthe-

asthenici incitabilitatem aegre irritat stimulus. Respicias igitur, ut certior de morbi indole fias, omnium stimulorum corpus irritantium efficaciam.

Omnia vero astheniae signa diagnostica explicare, ne superflue dictorum in me cadat vituperium, cum omnibus medicis nota sint, silentio praetereo.

Cap. II.

De morbis ventriculi et intestinorum asthenicis.

§. 1.

Praemonenda illa de incitationis asthenia praefatus, cum sententiam de iis, qui e principii vitae labore sint ventriculi et intestinorum morbi, excutiendam me convertam, materiam video mihi tractandam sumsisse multo ampliorem, quam quae angustioribus mei opusculi finibus coercenda sit. Recorderis igitur, qui opusculum lectu dignum habeas, si eandem invenies materiam breviter tractatam, que illustrissimi viri opera permagna impleverint, dissertatiunculam te legere, ingenii iuvenilis primitias, quibus sapiens quisque animum respiciens indulget.

§. 2.

Communem dico illum ventriculi et intestinorum morbum, qui, incitamento aut absolute aut relative deminuto, in incitatione iusto minori est positus, ubi autem et ob maiorem tubi intestinalis praedispositionem et ob stimulorum in illum rectam applicationem, maior est ventriculi et intestinorum asthenica affectio. Quibus servatis facile est intellectu et ob magnam ventriculi receptivitatem et ob stimulorum multorum in eam directam efficaciam, multo maiorem morborum asthenicorum partem, iis nunc contemplandis adnumerandam esse.

§. 3.

Ventriculi et intestinorum in asthenico morbo affectio semper illius totius systematis pars est, semperque igitur eiusdem indolis. Sthenia et asthenia uno eodemque corpore simul existens contradictio.

§. 4.

Diagnosis, ea de morbo asthenico communi iam supra accepta, si et praecedentibus et praesentibus nunc demonstrandis ventriculum et intestina maiori astheniae vi occupata esse noverimus, omnino posita est. Stimulis praecedentibus directe asthenicis, morbum directe asthenicum, iisdem autem indirecte asthenicis, indirectam astheniae indolem concludimus.

§. 5.

§. 5.

Si corpori praedispositione, per stimuli absolute diminutionem iam antea adducta, nunc subito potentia supervenit directe nocens et vel illa in ventriculo maioris fuerit gradus, vel haec eundem immediate infestet, vel utraque coniuncta inveniantur momenta; illam adesse, de qua sermo est, morbi opportunitatem, aut citius aut tardius in morbum auxiliis neglectis semper abeuntem.

§. 6.

Quae autem noxae excitantes stheniam et subito diathesi adhuc sthenica stimuli vi deminuta indirectam producant astheniam, eas sequitur si eadem conditione § 5 data corpus irritent, illum adducere per stheniam, morbum ventriculi indirecte asthenicum. Quod quotidiana docet experientia.

§. 7.

Asthenia incitationis, causis iam iterum iterumque a me explicatis, adlata ventriculum caeteraque digestionis viscera praesertim infestans, illa producit symptomata.

Ab initio morbi caput gravitate occupatur, omnibus functionibus inertia inest, lumbi, atque regio epigastrica saepe tumida, dura dolent, quae prima veletudinis adversae vestigia opportunitatem in morbum transire indicant. Ventriculi autem debilitati languescens magis magisque actio, cum ingesta digerere nequeat, graviora abinde symptomata adducendo morbum auget. Pro illa enim iucunda cibi cupiditate e fibrarum ventriculi muscularium contractione recta, eiectisque contentis rite digestis per novum liquorum digestionis irritamentum aucta, qua parietes ipsas ipse tangendo irritet, nata, nunc omnibus illis conditionibus absentibus aversatio est ciborum, et ea ipsa ingrata nervorum ventriculi impressione nausea, vomituritio et sine levamine vomitus.

Cordis autem atque arteriarum vis imminuta tardiorem seu celeriorem, debilem, inaequalem, irregularem sanguinis circulationem reddit, unde pulsus tardior aut saepissime celerrimus, semper parvus, interdum durus interdum mollis.

Sanguis perverse paratus liquores secretos reddit perversos, unde secretiones aut nimiae aut imminutae et ipsae retentae.

Secretionem bilis e. g. vidimus nimiam a) si organa eundem secernentia e causis supra dictis irritabiliora facta: unde colluvies biliosa in duodeno et ventriculo morbi sic dicti gastrici a secretione bilis nimia b) Si organa ea afficiantur debilitate, ut quasi mortua non resistant.

Succus gastricus eodem modo nimius saepe per eiectae materiae et odorem et saporem acidus occurrit. Quod a medicis morbus ab acido primarum viarum nominatum symptoma est debilitatis.

Se-

Secretiones autem et ob debilem vaſorum actionem, et ob quem medici ſpaſticum nominaverunt eorundem ſtatum, a reactione vi reagendi disproportionali, admota, ſeu imminutae ſeu abolitae, ſubducto liquoris rite ſecreti ſtimulo, ipſae debilitatis ſymptomata nunc novum addunt aſtheniae augmentum. Ab iis, quae in medicorum libris ſub morborum e muci accumulatione, infarctibus, obſtructionibus e. c. titulo invenies, ea omnia dependent.

Perverſis autem ſecretionibus et excretiones eodem modo perverſas inveniendae ſunt, unde et

a) Excretiones nimiae, tranſpiratio aucta, diarrhoea, dysenteria, fluxus hepaticus, coeliacus, cholera, ſanguinis profluvia, in corporis cava extravaſata, haemorrhagiae aſthenicae, ſudores inaequales, profuſi frigidi, diarrhoea colliquativa.

b) Excretiones retentae, unde tranſpiratio ſic dicta ſuppreſſa, alvi obſtructio. Illa ſitis aſthenica nihil aliud eſt niſi ingrata e ſiccitate oeſophagi, retenta muci ſecretione orta, ſenſatio.

Illa fibrarum contractio, vi reagendi disproportionalis ideoque irregularis cum iſtis irregularibus contractionibus remaneant fibrae, aegre afficit aegrotum, doloremque producit illum vehementiorem, quem ſpaſticum dixere. Unde illud ventriculi malum triſti ſaepe cruciatu aegrotum urgens. Cardialgia, unde omnes in aſthenicis morbis, qui obvii ſint, dolores, e. g. tormina ventris, colica, tenesmus. Quibus omnibus de aſthenia ventriculi effectibus nunc explicatis facile intelligis, multo amplius graviusque illud eſſe, omnibus fere aſthenicis morbis coniunctum idemque, cauſam maligniſſimorum morborum, Synochorum et Typhorum.

Quae autem divina doctrinae ineſt ſimplicitas! unus eſt ſolus ventriculi aſthenicus morbus, cuius unius, quae a medicis nominata ſunt inteſtinorum pathemata, ea omnia ſymptomata ſunt: periculum quidem morbi ut quaevis potentia nocens ſaepe augentia. Sic e. g. diarrhoea aquoſa nimia in aſtheniae decurſu ſubito ſuperveniens incrementum aſtheniae indicans timenda eſt.

§. 8.

De Cura.

Nunquam, niſi cauſa continente ſublata, morbus rite curari poteſt. Quae, cum omnis aſthenici morbi incitatio eſt imminuta, ille augendo usque ad medium gradum incitationem unice curandus.

Quod autem ad illud adtinet ventriculi malum locale, e diatheſi univerſali deducendum, partem eſſe communis morbi iam ſupra diximus; ab eo omnino dependentem eoque curato curatum. Quare in commune, non in locale, malum, adhibenda auxilia. Quorum tamen quae ob organicam partis praecipue effectae ſtructuram, eius-

eiusque receptivitatem maiorem praestent in eam effectum; eadem autem omni universi mali indicatione respondentia, omnibus aliis et ipsis eiusdem in commune malum vis praeferenda. Nunquam vero ut locale illud tollatur, quae communis contradicat morbus, ea adhibenda sunt, i e. non sthenica cum asthenicis remediis inepte coniungenda Quaenam enim est medico ratio, qui hominem eodem temporis spatio remediis debiliorem, iisdemque validiorem fieri curet.

Cura astheniae directae.

§. 9.

Incitationis ad iustum gradum reductis omnem sistit astheniae directae curam. Quod quidem haud alia via, nisi stimuli vim absolute ita augendo, ut ratio recta inter incitamenti vim et incitabilitatem restituatur acquivimus Incitabilitate autem pro vi incitamenti deminuta, accumulata, receptivitatem quam maxime auctam, reagendi autem vim eodem gradu deminutam, accipimus. Quae cum ita sint, applicatis vehementioribus stimulis, exhaustaque per maiorem incitamenti vim incitabilitate, indirectam adducamus horribili corporis tumultu astheniam. Summi igitur momenti in asthenia directa curanda, illa est regula generalis: semper stimuli vis praecedentem superans quam maxime autem appropinquans uni solius gradus ab ea distans admovenda, dein vero semper gradatim vim augendo mediocris incitatio gradatim adducenda.

§. 10.

Cuius quidem incitamentorum iusti gradus investigationem, vi auxiliorum et pro habitu corporis individuali et pro vario morbi gradu tam variabili, difficillimam illis tamen nunc explicandis servatis perfici posse arbitror Quam igitur, vehementiae morbi respondentem habeamus incitamenti dosin, eam quidem adhuc deminutam adferre, brevissimisque deinde temporis intervallis gradatim auctam repetere, donec per pulsum aliisque signis de incitatione aucta certiores facti sumus, necessarium est Quam dein viam rectam secure persequimur. Si autem aut remedio dosis aut remedium ipsum maiorem ostendit vim, quam quae vehementiae i. e. gradui morbi respondet, aut remedii dosin diminuendo, aut remedium ipsum mutando, aut tandem alium stimulum subducendo, vitium evitandum est.

§. 11.

Quibus curandi difficultatibus permoti medici vitium inesse dixere curationi debilitatis directae a theoria incitationis praescriptae: magnum enim medicum clinicum dosin astheniae gradui respondentem investigari nunquam auxilii seu remedii dosin rite destinare

posse.

posse. Eandem aut difficultatem unusquisque medicus rationalis inveniet, etsi morbum alio dicat nomine. Theoria enim qualiscunque sit, nec de individuali corporis habitu, nec de morbi gradu, nec tandem de remedii dosi, quam illa incitationis, certiorem reddit medicum, quorum quivis veritati deditus saepissime se de dosi dubitasse confitebitur.

Omni autem adhuc haud accurate distinguenti systemati multo praeferenda incitationis theoria, quae tantam distinguendi diligentiam postulat.

§. 12.

Cura astheniae indirectae.

Quae, cum incitamenti vi, superante antea stimulo, relative deminuta deducenda et in incitatione minori ponenda est, illam incitamenti vim relative augendo unice tollitur. Augenda autem est ita relativa incitamenti vis, ut subductis illis stimulis superfluis, quibus antea exhausta fuerit incitabilitas, eandem ad iustum gradum reducamus, sub quo disproportio inter incitamenti soliti vim et incitabilitatem aufertur. Exhaustam autem illam incitabilitatem nec ullus incitat stimulus nisi astheniam antecedenti efficacia quam proximus; quo investigato et applicato, tunc demum linea descendente stimulorum vi gradatim deminuto, medius incitationis gradus reducitur.

Cura specialis.

§. 13.

Diaeta.

In directe asthenicis levioribus morbis saepe diaeta sola et quidem motus mediocris sub divo, calido, aut valetudinario temperate calido, pellucido, aëre libero recenter purificato, animi exhilaratio, vegetabile quoddam nutriens, tenue leniter irritans modice assumtum, sensim leniori animali coniunctum egregie sanitatem reducit. In malis paulo vehementioribus illis praescriptis vinum merum adiungi debet. Si eam iam morbus vim ostendit, ut nausea, sitis asthenica, capitis dolor vehementissimus et sine levamine vomitus aegrotum torqueat, tunc ab omni ipso levissimo cibo abstineas et stimulis diffusibilibus gradum morbi deminutum reddas. Quo facto, ad victum animalem perspirabilem levem descendere poteris. In omni vero indirecta ventriculi asthenia victus et vegetabilis et ipse animalis non satis irritans aegroto saepissime resiliens, nauseamque admovens evitandus est. Leniorem eiusmodi morbum saepe motu vehementiori sub caelo e. g. fortiter cum amicis hilaribus equitando sanatum vidimus, nunquam autem graviorem diaeta sola curatum accepimus. Stimulis tamen diffusibilibus iam leniore facto, diaeta animali, aromatica maxime irritante utenda.

§. 14.

§. 14.

Omnia astheniae remedia pharmaceutica in II. ordines sunt dividenda.

I. *Stimuli* diffusibiles.

Brevissimo temporis spatio, quasi momento vix praeterlapso, penetrabilem sed non permanentem in incitationis systema effectum praestant, quare in omnibus gravioribus morbis primo adferri aliisque antecedere debent. Magnam eorum copiam in materia medica sub excitantium antispasmodicorum narcoticorumque titulo invenies: quorum illa unica commemorari digna hic arbitror. — Opium. Naphtae, Alcalina volatilia, Vinum, Camphora, Moschus, Serpentaria, Valeriana.

II. *Stimuli* diuturniores seu permanentes.

Qui non subitam incitationis penetrabilem mutationem excitando, sed fibram organicam debiliorem redditam eiusque vim reagendi secundarie quidem) permanenti actione roborando organismique integritatem restaurando sanitatem efficiunt.

Supremum profecto locum Cortex implet peruvianus cum substitutis, Cortice salicis Hippocastani, Caryophyllata e. c. praecipue autem (exceptis illis) in ventriculum et intestina vim *amara* praestant. Quassia, Simaruba, Gentiana rubra, Trifolium fibrinum, Calamus aromaticus, Cortex aurantiorum e. c. quibus permanentibus stimulis sub morbi finem nutrientia coniungenda sunt.

§. 15.

Nihil autem illis in morbis, clysmatibus, et diffusibilibus e. g. Laudano liquido Sydenhami, Valeriana e. c. et permanentibus stimulis e. g. Cortice peruviano, Caryophyllata e. c. paratis efficacius, cum ea ipsa remedia immediate intestina tenuia intrant. Quibus tandem brevissime nominatis remediis internis adiungas et externe applicata.

Epithemata aromatica calida, inunctiones et spirituum volatilium et linimentorum unguentorumque, emplastra stomachica e Laudano, Camphora, emplastro de Galbano crocato, e. e.

§. 16.

Quae, si rite applicare velis remedia, nunquam illa obliviscaris generaliora notata.

I) Remediorum multorum mixtio evitanda, simplicissimis utendum, tunc demum remedium remedio adiungendum, si hoc, illo antea dato, in affectionem partis localem sub morbi decursu natam efficacius putemus. Sub quo enim, remedio illo dimisso, de huius dosi, illius vim quam accuratissime praestante, dubitandum, cum tam incerta sit nostra de auxiliorum vi cognitio.

II) In recte praefcribenda medicaminum dofi praeter, aut directam aut indirectam aftheniae indolem, aegroti individualitatem, et diei tempora et tempeftatis mutationes refpicias.

Matutino tempore, aegroto per fomnum quietemque nocturnam, ob incitabilitatem magis abundantem, irritabiliori, dofis praecedenti minor praebenda eft. Inde usque ad noctem crefcat medicaminis dofis, nifi per diem plures per horas quieverit aegrotus. In decurfu morbi, fi fubito tempeftas mutatur, femper incitamenti fumma mutari debet. Frigore enim, calidiori tempeftati fubito fuperveniente, calore deminuto, incitamenti in incitabilitatem vim minorem invenimus, quem igitur ftimulum deficientem fupplere medici effe puto, quod quidem aut caloris artificialis, aut auxiliorum dofeos auctae ope eum adfequi poffe equidem arbitror. Si autem frigidiori tempeftati caloris augmentum intercedit, pro augmenti illius gradu incitamenti vis deminuenda eft.

III) Incitatio, diffufibilibus ftimulis applicatis, fequens, eorum in incitabilitatem vim defignat, unde fi iufto (pro data morbi ratione) maior eft, nimiam ineffe ftimuli vim, eiusdemque dofin deminuendam, fi immutata remaneat incitatio, minorem illam quam quae morbi gradu refpondeat, dofinque augendam, fi tandem gradatim augeatur incitatio, pulfus celerrimus nunc tardior, minimus, nunc maior e. c. evadit, fymptomata morbi gradum indicantia, fubinde evanefcunt e. c. tunc rectam, gradui morbi refpondentem medicamini dofin applicatam effe perfuafum te habeas, qua via fecure progredieris.

IV) Breviffimo temporis intervallo ftimulorum diffufibilium dofis repetenda, ne timendum fit, quin alteri dofeos effetus iam ceffaverit prius, quam alteram applicare cogitemus. Incitationis deminutio incipiens (e pulfu caeterisque fymptomatibus inquirenda) extremum effe indicat tempus ad dofin repetendam.

Cap. III.

§. 1.

Qua vera de afthenia ventriculi et inteftinorum fententia breviter explicata, quis quaefo hominum, omnes de gaftrico communi morbo medicorum gaftricorum ideas, opinionem effe vanam atque falfam (neget)? non meminerit?

Cum enim et fecretiones atque excretiones perverfas nunquam morbum, fed eiusdem effectum effe patefit, omnes illae cruditates, colluvies biliofa, mucofa e. c. nunquam morbi nomine nominandae funt, — et figna fic dicta gaftrica, faepe fine omni excretione aut fecretione perverfa, in aftheniis et interdum ipfis ftheniis medico

dico obvia ſunt, et ſaepiſſime morbum localem ventriculi deſignant, non unius morbi ſc. gaſtrici ſigna pathognomonica eſſe poſſunt. Cum tandem evacuantium in unaquaque aſthenia uſu effectus quidem morbi auffertur, cuius autem cauſa iisdem augetur, nunquam in communi morbo aſthenico admittenda ſunt.

§. 2.

Non exiſtit igitur morbus gaſtricus — non exiſtunt eiusdem pathognomonica ſigna, et ſemper in communi aſthenico morbo curando evacuantium uſu abſtinendum, cum nunquam gaſtrica ſigna complicationem adeſſe, ſed effectum morbi ſolum deſignent, a morbo dependentem, eoque curato, curandum.

Quare et non illa medicorum gaſtrica in nervoſis febribus complicatio exiſtere poteſt, niſi fortaſſe illud malum locale, prima opusculi parte tractatum gaſtricum nominare velis. Subque complicationis idea non omnino refundenda ſed aliter modo ponenda mihi videtur. Eſt enim complicatio (ſi nomini faveas) localis mali cum univerſali pathemate, quorum unum ab altero ſemper diſtinguendum, illud, quaſi malum locale hoc, morbus communis, tractandum eſt, quorumque quidem neutrum in morbi initio ab altero dependeat, ſaepe autem, in morbi decurſu alter alterum aut augere aut producere poſſit.

§. 3.

Nequaquam enim, in initio morbi aſthenici interdum vitium illud locale ventriculi adeſſe, negamus, ſub quo et ipſe, ut materia, ventriculum topica laedente evacuato, maiorem habeam excitantium vim, emetico utor. Vix autem emetici effectu finito i. e. topico malo ſublato ad diffuſibiles transeo ſtimulos; tamen autem doctrinam illam de complicationibus falſam et usque in aeternum multiplicatam (extenſam) ſummas intuliſſe medicinae noxas equidem profiteor.

§. 4.

Qui enim, in omni communi morbo, aſthenicae indolis, illam ventriculi et inteſtinorum maioris gradus affectionem a communi morbo ortum, et omnino dependens non ullis tractandum eſſe, niſi illis, quae communi morbo reſpondeant auxiliis iam ſupra propoſui, inepte agere medicum, qui illo topico ventriculi malo, prima diſſertationis parte deſcripto, atque e praecedentibus ſolum cognoſcendo abſente, tamen gaſtricis ſignis commotur, aut vomi aut alvum duci, in decurſu aſtheniae, iubeat perſuaſum me habeo, quippe qui remediis morbo contrariis eundem augeat. — Signa enim gaſtrica — ſigna debilitatis dixi, quae ſublata cauſſa evaneſcant.

§. 5.

Quam vero ſi admiratione dignam invenies, ſummam methodi gaſtrici gloria tot per annos conſervatam, felicemque tot morborum illis temporibus, gaſtrice curatorum eventum, illa recorderis.

Illis gaſtricis temporibus, omnia prae ſe ferebant ſignis gaſtricis praeſentibus pathemata gaſtricorum ſpeciem, unde, quos curavere medici morbos, eodem gaſtricos nominavere, et ſi, ſaepius illis temporibus medico occurrentem leviorem ſtheniam evacuantibus debilitandi eorum vi, curaviſſent gaſtricum nervoſum, aut putridum ſe extinxiſſe putavere morbum; quem autem initio leviorem, evacuantibus graviſſimum reddidiſſent morbum, eum tandem excitantibus et roborantibus curavere: aegroti autem ſi falſe tractati mortem ſubiiſſent, non gaſtrico ſed putrido aut nervoſo morbo, in quem ſaepiſſime gaſtricum adſcendere, medici ipſi putarunt, extinctos arbitrati ſunt. Unde ſemper methodus gaſtrica conſervavit gloriam, unde et iſtis temporibus evaſere aegroti.

§. 6.

Aegrotos autem, morbis Aſthenicis occupatos, ſecundum incitationis theoriam tractatos morte defungi, non theoriae iſtius vitio ſed et naturae legibus, cum nec ulla, ab hominibus inventa et ipſa optima theoria hominem immortalem reddere nequeat et medicis, qui ut Brunone digni curent, nimie et inepte excitando aegrotum occidant, abſcribendum eſt. Etenim incitationis theoria eam, nunquam antea adlatam, ſubtiliſſimam diſtinctionem poſtulet.

Gratulor igitur omni medicae arti, gratulor inſulae, qua illud lucem adſpexit vitamque peregit ſummum ingenium, gratulor patriae dicta illius rite veneranti, iisque qui primo illius veſtigia ſecuti ſint, gratulor tandem et mihi tam felici aetate viventi, unde, primae lineae ſyſtematis medicinae verae iam poſitae, ſpem felicioris praebeant futuri.

5(16)